

XIII. Rationi dispositionis prædictæ explicatæ succedit subiectum, cujus conditio in substratâ materiâ consideranda. Equidem si utriq; parentes servilis sint conditionis, non est, ut de partu dubitemus, ipsam eandem participare qualiteratem. Quod si verò ratione status disparitas inter parentes intercedit, disquirendum ulterius, cujus conditio vel prosit vel noceat partui? In textu nostrò dicitur, ex ancillis matros servos fieri. Apertius rem exprimunt Imperatores in *l. 7. C. de R. V. Partus ancilla matris sequi conditionem, nec statum patris in hac specie considerari explorati juris est.* Junge *l. ult. de A. R. D.* Juri naturali hoc non satis convenire, ubi pater aliquâ ratione sufficiente cognosci potest, asserit Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 29.* Verùm cum de conditione civili, & quâ aliquis in civili pollet societate, hinc disquiratur, idè naturalis juris pro objectò actum naturâ suâ licitum vel illicitum agnoscentis ratio in decidendò hòc dubiò non satis commodè ad partes vocari poterit. Potius rationes, quibus Romana sanctio nititur, prægnantes satis censent communiter Doctores. Et licet Paul. Laymann. *Theol. moral. lib. 3. tr. 1. c. 5. n. 9.* eam reddat, quod mater ancilla propter partum subtrahatur servitio Domini, & sæpè mortis periculo exponatur, æquumq; proinde sit, ut pro hoc damno vel periculò damni partus ejus ad dominum ancillæ spectet, quoniam sentiens onus sentire etiam debeat commodum, meritò tamen à Dn. Zigl. *in not. ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 29.* eadem improbat. Ulterius Sichardus ad *l. 7. C. de R. V.* eam in favore partui ex matris conditione triplici tempore accedente quærit. Omnium autem communissima & receptissima hujus decisionis causa est, quod mater semper certa sit, & ut Leonh. Less. *de J. & J. lib. 2. c. 5. dub. 4. n. 13.* differit, *plus conferat materie corpulentæ quam pater: servitium autem secundum corpus convenit.* Certè deficiente patriâ potestate & familiâ, quæ non nisi ex justis oriuntur supriis, pater vel incertus vel nullus esse censetur *l. 23. π. de stat. hom. l. 5. π. de in jus voc. Lex natura hæc est, inquit Ulpianus in l. 24. π. de stat. hom. ut, quæ nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur, i. e. lex consuetudinis generalis ab aliqua ducta ratione naturali, ut Ulpianum interpretatur Grotius *de J. B. & P. Lib. 3. c. 7. n. 5. V. & Franzk. comm. ad Dig. de stat. hom. n. 27.* Dicuntur autè servi nati in specie vernæ *l. 36. π. de**